



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Authoris proæmium, quomodo ad scribendū præsentem historiam
accesserit, & quòd post impii Iuliani interitum, cum hæreses paulisper
conquieussent, postea diaboli malignitas denuo fidem exagitauit. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGRII SCOLASTICI, EPIPHANENSIS ET EX PRAEFECTIS ORIVNDI, HISTORIAE ECCLESIASTICAE Libri sex.

Authoris proaemium, quomodo ad scribendum praesentem historiam accesserit, & quod post imperii Iuliani interitum, cum haereses paulisper conquiescissent, postea diaboli malignitas denno fidem exagitavit. CAP. 1.



VSEBIVS cognomento Pamphilus, vir sane cum in alijs rebus disertissimus, tum in scribendo tantum pollens, ut possit lectores suorum librorum, & si non efficere perfecte Christianos, ita tamen persuadendo impellere, ut Christianam religionem lubentes colant, Eusebius, inquam,

Sozomenus, Theodoritus, & Socrates, de clementissimi nostri Servatoris in mundum adventu, de eius in caelos ascensione, de rebus gestis apostolorum, de certaminibus a sanctis martyribus confectis, & si quid aliud factum sit, dignum commemoratione, vel secus, ad aliquam partem regni Theodosij literis accuratissime prodiderunt. Et quoniam ea, quae deinceps gesta sunt, illis videntur non multo inferiora, atque haecenus nullo ordine commemorata sunt, quamvis ipse in eiusmodi rebus tractandis indisertus videar, tamen arbitror laborem in illis memoriae prodendis a me poni, hocque opus suscipi, inque eo, qui & piscatores singulari imbuuit sapientia, & linguam indisertam ita limavit, ut voces articulatim & distincte possit exprimere, firmam spem collocari debere, ad eum plane finem, uti res gestas iam ob

Es liuione

EVAGRII HISTORIAE

liuione intermortuas, quasi ad vitā denuo reuocare queſ-
 ſicque animare oratione, & ſempiternæ memoriæ com-
 mendare, non modo vt quiſque tum quid factum ſit ad no-
 ſtram vſque ætatem, tum quo tempore, quo ve loco, tū quo
 modo, tum aduerſum quos, tum denique à quibus, verum
 etiam vt nihil dignum memoria, præ languida & diſſoluta
 inertia, obliuione, quæ illi rei finitima eſt & vicina maxi-
 me, obruatur. Ibi igitur diuino adiutus auxilio, initium fa-
 ciam ſcribendi, vbi illi ſcriptores, quos ſupra dixi, finem hi-
 ſtoriæ impoſuerunt. Cum iam impia Iuliani crudeli-
 tas ſanctorum martyrum ſanguine ſatiata erat, & amens
 Arii furor verè doctrinæ quaſi catenis in concilio Nicæno
 fabricatis conſtrictus, & Eunomius ac Macedonius ſacro-
 ſancti ſpiritus virtute in Boſphoro acerbè exagitati, &
 Conſtantinopoli, vrbe in primis illuſtri fracti, debilitatiq;,
 & ſancta eccleſia ſordes, quibus recens contaminata fuiſ-
 ſet, depoſuerat, eratq; ad priſtinum decus reſtituta, & in ve-
 ſtitu deaurato circundata varietate, & amatori ac ſpōſo ad-
 ornata, hoſtis probitatis dæmon, quia iſta ferre non poſſet,
 peregrinum quoddam & monſtroſum belli genus contra
 nos excitauit. Ac cum videret & cultū ſimulachrorū quaſi
 pedibus conculcatum, & ſeruilem illam atque abiectā A-
 rij inſaniam penitus ab eccleſia depulſam, quanquam vere
 batur fidem apertè, vt hoſtis, oppugnare, præſertim à tot ac-
 ram ſanctis patribus roboratam firmeq; munitam (quippe
 in ea obſidenda multum amiſiſſet virium) ex occulto tamè
 rem aggreditur, & rogatis quibuſdam reſponſiſq; excogi-
 tatis, errorè ad Iudaïſmum nouo more ac modo traducere
 ſtudit: neque intellexit miſer inde ſe euictū & proſtigatū
 iri. Quod autem antea vnum ſibi habuit aduerſarium, iam
 idem ipſum reuereri & quodāmodo amplecti videbatur:
 quandoquidem non vtrum eccleſiā à fide vniuerſa detru-
 dere, ſed vtrum verbum aliquod in ea deprauare poſſet, in-
 ſolens laborauit. Atque ſæpenumero ſua ipſius inuolutus
 malitia, etiam literam ad ipſum ſenſum & ſententiā inuer-
 tēdam pertinentem immutare ſubdole molitus eſt. Cæte-
 rum quemadmodum ſenſum à lingua diſiunxerit, quo hæ-
 duæ res minimè velut vno conſenſu deum & ſyncere con-
 ſiterentur, diuinisq; efferrent laudibus, quin etiam qua-
 ratione iſta-

Pſal. 44

ratione istarum rerum vnaquæque gesta sit, & quem ad exitum peruenerit, suo loco explicabo: attexamque præterea, si quid aliud potero reperire, quod ab instituto videatur alienum, dignum tamen, quod historiæ mandetur: ibique finem scribendi faciã, vbi deo clementi ac propitio visum fuerit.

Quomodo Nestorius ex Anastacii discipuli sui dissertatione, sanctam dei matrem, non deiparam, sed Christiparam vocitasse, deprehensus sit, quæ de causa hæreticus habitus est. Cap. II.

Quonia Nestorius, qui lingua Deum oppugnauit, qui alterum cum Caipha contra filium Dei coegit conciliū, qui blasphemiam officinam, in qua Christus denuo trucidat & diuedit, instruxit, qui naturas illius (qui in ipsa cruce ne os quidem, ut scriptum est, omnino habuit contractum, neque vestem penitus textilem à paricidis discissam) diuisit diremitte, vocem hanc, Deiparam, à multis lectis spectatisque patribus fabricatam repulit atque adeo reiecit, & vocem, Christiparam, ab se veteratorie effictam & cõflatam ei opposuit, seditionibusque; infinitis referit ecclesiam, atque intestina ac ciuili sanguinis effusione repleuit, arbitror orationem mihi de esse non posse, cum ad historiam aptè appositeque contexendam, tum ad rationem ac viam in ea ad finem usque; progrediendum, si Christo omnium gubernatore opere ferente, à nefaria istius impij Nestorij blasphemiam exordium capiam. Cõcertatio in ecclesijs suscepta hinc habuit initiū. Anastasius quidam presbyter peruersa imbutus opinione, Iudaicorum dogmatum, quæ tenebat Nestorius, acerrimus fautor, & ei ad episcopatum proficiscenti comes, vbi Nestorius cum Theodoro in vrbe Mopsoestia congressus, audita illius doctrina à vera pietate desciuit, Anastasius (inquam) ut à Theodoro in epistola quadam de hijs rebus scriptum est, in disputatione apud populum Christum sancte colentem, in Ecclesia Constantinopolitana habita, palam ausus est dicere: nemo Mariam deiparam vocet. Nam Maria, inquit, homo erat: atque ab homine deus nasci non potest. Quæ quidem verba cum populus Christo cõsecratus grauitè & acerbè ferret, & disputationem illam non sine causa haberet pro blasphemiam, Nestorius istius blasphemiam

Ec 2 author